LUDOVICUS FRIDERICUS
COMES DE WIED, DOMINUS IN RUNCKEL, &c.
ACADEMIÆ GIESSENÆ p.t.
RECTOR,
CIVIBUS ACADEMICIS
S. P. P.

PROPONAT quamvis *Hiſtoria* antiqua & recentior quosdam, in quibus aut animi tanta fuit excellentia, aut tam nativa cum diſciplinis cognatio, ut nullâ inſtitutione opus habuerint, ſed ipſi exſtiterint viva quædam artium & diſciplinarum exemplaria, non tamen facilè quis ex ordine diſcentium ſe ad eorum catalogum pertinere opinabitur. Fuiſſe conſtat, qui in nocturnis tenebris tam acutè omnia cernebant, quàm in meridie, quo ſol maximè lucet. Hic quia deficit oculorum noſtrorum lumen, nec ſibi blandiri quiſpiam audet extraordinariis quorundam exemplis: non eſt etiam, ut felicitatem quorundam ingeniorum absque artium & diſciplinarum præceptis ſtudioſè propoſitis ad ſumma pervenientium aliquis ad ſe pertinere arbitretur. Certum eſt, non eſſe aliquid, quod profectui in literarum ſtudiis magis obſit, quàm δοξοσοφία (quod *Platonis* vocabulum eſt elegans de opinatâ ſapientiâ) quorundam, qui quamprimùm in via poſuerunt pedem, viſi ſunt eum jam habere in meta. Veriſſimè dictum eſt à *Seneca*. *Multos potuiſſe pervenire ad ſapientiam, niſi ſe jam perveniſſe putaſſent.* Ex illis, qui ſtudiis animum applicant, quidam timore angi & querulari ſolent de infelicitate ingenii, quidam a. in dotibus naturæ confidunt & unicè lætantur. Illos videas, ſuperatis difficultatibus, omnia imbibere ſolidæ eruditionis arcana, ſi non deſperant, ſed precibus piis conatum debitum jungunt. Hos a. in infimis ſubſiſtere, quia tam delicatuli ſunt, ut debitos ſuſtinere nolint labores: Ideò benè quodam in loco ſcribit *Plinius: Neſcio, quo pacto magis in ſtudiis homines timor quàm fiducia decet:* Timorem illum laudabilem hæc quoq; commendat virtus, ut ad eruditionis famam tendens in eo quoque certus ſit, proficiendum ſibi eſſe in *Academiis*, non legendo tantùm, ſed quàm maximè audiendo. *Epaminondam* commendat Scriptor vitæ ejus, quòd audiendi fuerit ſtudioſus, eò quòd ex hoc facilimè diſci arbitrabatur. Hanc viam *Vos* etiam, qui ſtudiorum gratiâ in *Alma Noſtra Gieſſena* verſamini, inſiſtite. En! In Tabella hâc conſignata ſunt nomina *Doctorum* in ſingulis ſcientiis & diſciplinis ſuam vobis in lectionibus publicis & Collegiis privatis operam indefeſſam offerentium: Lectionem mutam eſſe ſciatis, & languorem parere pertinacius continuatam: Audiendo laboris minus capitur. Imprimuntur etiam magis audita per ſenſum diſciplinæ cujus miniſtræ aures ſunt. Agite ergo; Veſtram poſt preces tam in publicis quam privatis Collegiis demonſtrate diligentiam, benedictionem largiſſimam & eventum felicem certò expectantes. 8. *Id. Mart. GIESSÆ, ſub Sig. Maj. Academiæ Anno M.DC.LXVIII.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS Haberkorn D. Continuabit Lectiones publicas de Paſſione & Morte Chriſti, & ſic de aliis Dogmatibus. Continuabit ſimul Diſputationes Anti-Syncretiſticas, aliasque. Cumq; Collegium privatum AntiBecanianum dictando hâc hyeme ad finem quidem perductum fuerit, ſed ita, ut dimidium Becaniani Manualis adhuc refutandum reſtet: Ideò in Collegio hâc æſtate redintegrando & conſummando, alteram illius partem conſueto tenore abſolvere ſtudebit.

JOH. NICOLAUS MISLERUS, *S. Theol. D. Ejus & Hebr. Ling. Profeſſ.* In nonnullis fidei Articulis, volente DEO, Methodo hactenus obſervata, publicè perget; Singulos juxta ſeriem Synopſeos ſuæ privatim repetet, addito Collegio Hebraico, ſi qui ſanctæ Linguæ Cultores adfuerint.

MICHAEL SIRICIUS, *SS. Th. D. & Profeſſ. p.t. PRORECTOR*, publicè ſcripta Eccleſiaſtica primi ſeculi percurret. Privatim aperiet Collegium diſputatorium contra Calvinianos. Non deerit etiam in aliis laboribus, honeſtis Dnrum Studioſorum deſideriis.

PHILIPPUS LUDOV. HANNEKENIUS, *SS. Th. Lic: & Profeſſ. extraord. privatim* D.V. Collegium aperiet cathecheticum, ex ejusque ordine loca quædam præcipua Sacræ Scripturæ ab Adverſariorum violentia *publicè* vindicabit.

IN FACULTATE JURIDICA.

GREGORIUS TULSNERUS, U.J.D. *Conſiliarius Haſſo-Darmſt. & Prof. Ord.* etſi quò ad Prælectiones publicas rude donatus ſit; nihilominus tamen in aliis, quæ Academiam & Facultatem concernunt, negotiis, quantum per vires corporis licebit, ſuo non deerit officio.

JACOBUS LE-BLEU, U.J.D. *& Codicis Prof. Ord.* illuſtriores Codicis leges in publicis lectionibus explicabit, collegia quoque juridica privata aperiet.

MARTINUS Müller / *J.U.D. Juris Canonici Prof.* publicè aut privatim ut conſtitutio corporis feret, Jus Canon. ſecundum ordinem judiciorum tractabit, in omnibus aliis prout Dnn. Studioſis commodum viſum fuerit, operam ſuam offerendo.

HULDERICUS EYBENIUS, *D. Jur. Publ. & Feud. Prof. Ord.* B. C. D. publicis prælectionibus abſolvet doctrinam de *Jure Feudali*, & incipiet inſignem aliquam *legem Imperii fundamentalem* explicare. *Diſpp.* quoque *ad Inſtit. Jur.* continuabit. Denique privata collegia atque alia exercitia jurid. inſtituet pro uſu & genio Dnn. Commilitonum.

JOH. RICHARDUS MALCOMESIUS, *Jur. D. & Prof.* in Expoſitione Inſtitutionum Imperialium Juſtinianearum publicè ordine haud interrupto, Deo clementer ſecundante, perget: & juxta decretum Statutorum Academicorum *Tit. de V.S.* vel *de R.J.* adjunget. Privatim quoque tum explicando, tum diſputando pro lubitu & commodo Dn. Commilitonum continuabit, & æſtivas horas impendet.

IN FACULTATE MEDICA.

JOH. TACKIUS, *Phil. & Med. D. hujusq; Prof. Primar. & Archiater Haſſo-Darmſtatinus*, quousque in aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisque Medicis tam Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi v. otium aulicum ipſi ad Academiam aperuerit viam, non ceſſabit Publicè privatimque pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Prof. Ordin.* methodo hactenus obſervatâ, *Capitis* qui reſtant p.n. Affectus *publ.* exponendo, σὺν Θεῷ, abſolvet. Quoad *privatam* v. operam & informationem, Dnn. Studioſorum, (quos interim ad exercitia diſputatoria invitat,) captui, & deſiderio ſeſe accommodabit.

MICHAEL Heyland / *Phil. & Med. D.* & P.P. futura æſtate hebdomatim duos dies Purgantium doctrinæ, duos verò Botanicæ publicè tractandæ deſtinavit. Privatim illuſtriores Controverſias ex Medicis Inſtitutionibus collectas ad Diſputationis incudem revocabit; quin &, qui ὑγιεινῆς & θεραπευτικῆς explicationem deſiderabunt, ſuam quoque iis pollicetur operam.

HIERONYMUS Nötel / *D. & Prof. Extraord.* quousque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicina depromendis ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit pro placito Dominorum Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

KILIANUS RUDRAUFFIUS, *Ph. M. Organ. & Prim. Phil. Prof. h. t. Dec.* In Logicis examen proceſſus Syllogiſtici in publicis Colloquiis ſacris, Ratisbonenſi, Mompelgartenſi aliisque inſtitutis, prout occaſionem præbebit Dialectica ſacra *Beati Dannhawers*, continuabit. In Metaphyſicis partem ſpecialem quoad pneumatica explicabit. In Philoſophia Theologica publicè diſputando perget, primamque partem illius opuſculi, dante & volente propitio Deo, abſolvet. Privata Collegia moderabitur Dn. Auditorum & Collegarum deſiderium, mallem tamen hoc ſemeſtri diſputatoria, quam explicatoria, quanquam nec hæc denegata volo.

M. JOHANNES Weiß / *Mor. & Civ. Prof. Ord. publicè* abſolvit in Ethicis materiam de Juſtitiâ & Jure, ut & de Heroicis, Imperfectis & Intellectualibus Virtutibus: reſtat, ut virtutum effectum, naturam ſcil. Amicitiæ exhibeat, quâ abſolutâ, tabellas Ethicas Dn. Cellarii ad deſiderium Dnn. Studioſorum, quò juſto abſolvi poſſint tempore, gratâ brevitate proponet. In Politicis verò eâ methodo, quam per præcepta & axiomata in Exercitationibus ſuis Ethicis hactenus obſervavit, procemium de Conſtitutione Politicæ, nec non de Societatibus in genere tradidit; quibus debito ordine naturam de Societatibus in ſpecie ſubnectet. *Privatim* Collegia tam Ethica, quàm Politica aperiet, &, cùm Dnn. Studioſis ita commodum viſum fuerit, tabellas laudati Cellarii Politicas explicabit.

LAURENTIUS STRAUSS. *Med. D. & Phyſ. Prof.* Inſigniores & utiliores, quæ in parte Phyſices *ſpeciali* occurrunt, Quæſtiones pro materiâ prælectionum *publ.* ſeliget, easdemque quà fieri poterit, brevitate perſpicuâ exponet. *Privatim* v. expectabit auditores diligentiam excitantes, quibus, Deo favente, nihil, quod virium ſuarum erit, denegabit.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *Orat. Prof. Ord.* publicè D. V. continuabit pædiam in auctores Latinos Romanos, eamque ad calamum abſolutam explicabit, antequam doctrinam de Elocutione ordiatur. *Privatim* Voſſii Rhetoricam contractam proponet.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Græc. L. Hiſt. & Poeſeos Prof. Ord.* in Hiſtorica delineanda Idea methodo hactenus uſitata perget, proximus proinde tranſitus ad res Perſicas erit, ſi prius deducta breviter fuerint quæ in Aſſyriacis adhuc notanda reſtant. In Græcis Ariſtot. commentarium de Re Poëtica explanandum ſuſcipiet, egregium ſanè, licet temporis injuria mutilum; eoque collaborabit, ut & quæ Artis ſunt proponat, & Græcæ ſimul Eloquentiæ decorem oſtendat. Dignus hic Philoſophus eſt, in quo ſtudioſa ſe mens exerceat, qui dudum optimus & dicendi & ſapiendi Magiſter ab eruditis habitus eſt.

M. FRIDERICUS Nitſchel / *Mathem. Prof. deſignatus*, publicè *Euclidis* elementa Geometrica explicabit. Privatim Collegia Geodæticum, Fortificatorium & Mechanicum aperiet. Demonſtrabit etiam debito tempore Aſteriſmos cœli.

GIESSÆ HASSORUM, Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi Ordinarii.